JOËLIS EMANUELIS GOUDSMIT,

ORATIO

DE STUDIO JURIS ROMANI HAC QUOQUE AETATE IN PATRIA NOSTRA EXCOLENDO,

HABITA

DIE XXV M. MARTII, ANNI MDCCCLIX.

CUM ORDINARIAM JURISPRUDENTIAE PROFESSIONEM, IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD JAC^M. HAZENBERG, CORN^I. FIL^M.
BIBLIOPOLAM.

ORATIO

DE STUDIO JURIS ROMANI HAC QUOQUE AETATE
IN PATRIA NOSTRA EXCOLENDO.

TYPIS A. W. SYTHOFF.

JOËLIS EMANUELIS GOUDSMIT,

ORATIO

DE STUDIO JURIS ROMANI HAC QUOQUE AETATE IN PATRIA NOSTRA EXCOLENDO,

HABITA

DIE XXV M. MARTII, ANNI MDCCCLIX.

CUM ORDINARIAM JURISPRUDENTIAE PROFESSIONEM, IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD JACM. HAZENBERG, CORNI. FILM.
BIBLIOPOLAM.

Academiae Curatores, viri amplissimi, nobilissimi!
Qui curatoribus ab actis es, vir consultissime!
Academiae Rector Magnifice!
Quarumlibet disciplinarum Professores, viri clarissimi!
Cives Academiae, juvenes ornatissimi, praestantissimi!
Cujuscunque ordinis Auditores qui hic adestis spectatissimi!

Hac qua nos vivimus aetate, quum omnia quibus circumdamur assidue mutari et novam videmus induere formam, quum nullus fere est dies, quin nova in lucem prodeant negotiorum gerendorum genera, quum locorum temporumque intervallis quasi remotis frequentique adeo magis magisque inter gentes commercio, quae singularum civitatum propria sint vix amplius apparent, quum vitae consuetudo, mores et instituta toto coelo differunt ab iis quae a majoribus tradita accepimus, quum nostrismet jam ipsi legibus proprioque jure regimur, quum denique parum sit, sive vitae privatae sive reipublicae regundae rationem spectes, quod Romanis invideas, ab illis nihilominus iuris incunabula petere, nonne revera mirum videri potest et absurdum? Quid

quaeso! quum mutata rerum omnium facie, novis urgentibus humanis necessitatibus propagatisque artium et doctrinarum finibus, Icti qui futuri sunt, imbuendi sint notionibus veteribus aut plane incognitis aut parum ab iis perceptis, in antiquis et obsoletis haerere, nonne singularis est stultitia? An forte quis juris Romani cognitionem ideo commendandam esse putet, quod multum faciat ad mentis aciem acuendam ingeniique vires excercendas? Quasi vero hunc finem non longe facilius asseculuri simus, si aures animaeque nihil antiquatum, nihil inutile, sed id quod in ipsis rerum obtinet argumentis accipient?

Ad hanc quaestionem respondere, eo minus mihi videbatur ab hoc tempore et loco esse alienum, quod qui hanc Academiam curant, viri amplissimi, quantum Jurisprudentia Romana sibi curae cordique sit, rebus ipsis ac factis declararunt, quum auctoritate sua effecerunt, ut utriusque juris publice interpretandi provincia, duobus, quorum quisque in sua regione vitae tabernaculum poneret, committeretur, adeo ut cum meam disciplinae partem commendabo, non tam meam ipse stationem extollere, quam quod periti ea de re sentiunt, me patefacere videri velim.

Propositum mihi igitur est, hac solenni hora disserere de *studio juris Romani hac quoque aetate in patria nostra excolendo.* Benevolis quaeso auribus me dicentem audiatis.

Est interpretandi ars, qua cum nemo potest esse destitu-

tus, qui rite percipere velit, quid alterius animo sive loquentis sive scribentis obversatum fuerit, tum certe ille carere nequit, cujus munus est jus sive leges ad rerum usum et communem utilitatem accomodare. Quum enim neminem lateat, a recto pravove juris intellectu pendere bona, fortunas, civium salutem ac vitam, facile intelligitur, eum qui sive patroni sive judicis magistratusve munere fungi sibi proposuerit, ab hujus artis praesidiis non rite paratus atque instructus veniat, vel in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut tamquam formularum cantor ab omnibus turpiter irrideatur, Jcti nomine prorsus indignus habeatur.

Verum enimvero uti juris interpretatio cum multis periculis est conjuncta, sic peculiarem quandam sibi habet difficultatem; si quidem ad aliorum vel oratorum vel scriptorum dotes maxime pertinet, copiose et ornate scribere aut loqui, ut audientium aures orationis dulcedine demulceantur, vel legentium animi sententiarum concinnitate et styli ornamentis delectentur, legislatoris contra est virtus concisa atque absoluta verborum brevitate et simplicitate: *imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire*. Legum adeo effata quodammodo ad oraculorum sunt instar, a Jctis utpote juris sacerdotibus explicanda et ad civium notitiam promenda.

Non est nostrum, cum juris interpretandi ratio magna ceteroquin ex parte constet praeceptis ex vulgaribus interpretandi principiis deductis, late hac de re disserere. Meminisse sufficiat, primarium interpretis officium in eo constare, ut ex verbis mentem legis eruere conetur quumque iis insit abstrusi aliquid, vel quid ambigue aut contrarie sit scriptum, aut ita, ut a sententia scriptum dissideat, la-

tentia exponere, obscura explicare, ambigua definire, pugnantia in concordiam redigere. Quod unum alterumve ut recte fiat, in verbis haerere non oportet. Rationes sunt exquirendae, investigandum, quaenam fuerit ante legem latam juris conditio, quaenam ejus sanciendae causa et opportunitas, quem finem ejus lator rogando legem, sese assecuturum esse speraverit. Ita grammatices ac dialectices arte adhibita et historiae luce allata, non verba, sed eorum vim ac potestatem tenebit interpres.

At ne in eo quidem subsistet, qui jurisprudentiae dignam vult navare operam. Cognito enim ac perspecto legis consilio, totum quod ab ea regitur institutum animo suo volvere et ab omni parte vertere, varias quas in vita quotidiana induere formas multiplicesque quibus sese exhibere possit species, explorare, quaenam extrinsecus momenta vim habeant, inquirere, quomodo denique cum aliis juris institutis cohaereat et quatenus ab iis discrepet, eum indagare oportet. Hac scil. ratione legi, corpori per se inerti, inflabitur anima et nemo facile desideraturus est normam ad quam quidquid occurrat rite exigat.

Jam vero in hac interpretandi arte ceteris aliis ita praestant Romanorum Jcti, ut merito omnium seculorum admirationem excitaverint sintque excitaturi, quamdiu jurisprudentiae suus constabit honos. Otiosum esset ac putidum, etiamsi temporis angustiae non impedirent, bujus praestantiae multa excitare exempla, quum nullus fere Digestorum titulus iis non sit refertus. Ad unum provocare lubet, non ut ex me cognoscatis, sed potius ut mecum recognoscatis. Praetor in edicto suo fragili minorum aetati auxilium pol-

licetur hac oratione [1]). »Quod cum minore 25 annis natu gestum erit, uti quaeque res erit animadvertam." En paucissima et simplicissima verba! quibus tamen totam restitutionis naturam, vim et efficacitatem ita superstruit Ulpianus, ut perlustratis qui huc pertinent locis, perfectam atque absolutam rei habeas imaginem. Exposito quippe praetoris consilio, aetate nempe minoribus succurrendi adversus insidiosorum hominum captiones, Jctum primum accurate quaerentem vides de significatione verbi *minoris*, quo temporis momento aetas sit aestimanda, utrum initium an finis contractus sit spectandus — utrum ipso die natali adhuc minor et horarum habenda sit ratio — utrum si bissexto sit natus, id biduum unus censeatur dies — et quandoquidem de *minore* loquatur praetor, an tum quoque restituatur, quum per eum major sublevetur. Progrediens deinde ad verba *gestum erit*, copiose et eleganter explorari vides varii generis negotia de quorum restitutione ambigi poterat, num v. c. ea tantum quibus suo ac etiam quibus alieno nomine obligatus sit — contractu an et ex delicto — extra judicium an etiam judicio — in damnis arcendis an etiam in lucro captando —. Ex verbis porro *ut quaeque res erit*, cum efficiatur, non passim sed causa cognita succurri et tum demum, si minor non mero jure munitus sit, mira sagacitate indagari vides species, quibus cum ordinaria sufficiant remedia, cesset extraordinarium quod minoribus competit auxilium. At de minoribus quaerenti ecce! Jcti menti obversantur omnia reliqua juris

[1]) L. 1, § 1. D. de min. (4. 4).

instituta, quae cum ista aetate cohaerent et restitutioni formam dare possint; patriae potestatis habetur ratio, peculii injicitur mentio, conspicis minorem cum servo negotium gerentem, mutuum dantem filiofam. contra Sctum Macedonianum, contrahentem cum muliere intercedente contra Sctum Vellejanum, cum alio minore idem atque ipsum implorante auxilium, nihil denique omittitur, nihil intactum relinquitur, nihil non exploratur, ex omnibus juris partibus huic instituto nova affulsit lux, ex uno lapide pulcrum aedificium.

Ejusmodi igitur cum conspicua sit Romanorum in jure suo enucleando virtus, ut eo perfectioris interpretis referat imaginem, quo quis magis ad illorum exemplum sese conformaverit, jam una idonea est reperta ratio, quare nondum recedendum sit ab eo majorum more, quo qui jurisprudentiae operam essent daturi, Juris Romani cognitione mature imbui voluerunt.

At vero audio sic mihi obloquentem. »Esto, de laudibus »istorum nihil detraho. Lubens confiteor, Ulpianum singulari »copia et ubertate, verborum gravitate et argumentandi sub»tilitate Papinianum, ingenii acumine Paulum a nemine um»quam superari, sed quid hoc quaeso ad rem? Quidni potius »quam ad alienas opes provocare, nostrarum virium fieri pe»riculum, quidni potius quam aliorum in re aliena uti opera, »in patrio jure et Germanico quod dicunt elemento evol»vendo, eâdem via ac ratione versemur, qua Romani, quum »leges suas aut Praetorum suorum edicta tractanda susce»pissent?" Quasi ut hòc ipsum rite fiat, vana atque irrita sint quae intueamur exempla, aut quasi de his non valeat id quod Cicero de eloquentiae arte, ea scil. numquam illam

habere vim, ut quod in ingeniis nostris omnino non sit pariat et procreet — naturam enim omnium esse principem — verum ut ea quae sunt orta in nobis et procreata, educent atque confirment. Talia exempla qui aspernantur, non dissimiles mihi videntur peregrinantium, qui terras sibi ignotas visere cupientes, potius quam aliorum qui easdem peragrassent regiones, vestigia sequi, aut tutos atque idoneos itineris adhibere duces, undique errare et circumvagari malunt, ita ut quo tendant aut omnino non perveniant, aut nonnisi sero et longo circuitu, eo quo nisi sibi ipsi sapere visi essent, sine magno labore et sine ulla diffidentia maturius perduci potuissent; aut ut alia similitudine utar, qui omni contemto duce suis se propriis niti viribus, non sine arrogantia clamitant, hi sane non multum absunt a tironibus, qui dum pingendo sese exercent, quantum ad sensum pulcri venustique valeat habere oculos arte atque exemplis exercitatos, parum percipientes, coelum, mare, terram, naturam solam intuendas, opera artificum vel optime de arte meritorum procul habenda atque abarcenda existiment.

Quaerentibus igitur ut faciunt, qui se facetos haberi volunt, *quis tandem nos liberabit a Romanis?* sic respondendum esse puto: Veniet fortasse dies, quo a Romanis divortium facere eosque sarcinis collectis res suas sibi habere jubebimus; sed hic dies non prius illucescet, quam illorum nos in suo genere dotes aequaverimus et a Romanis, quomodo Romanis careamus, didicerimus.

Huncce diem nondum venisse pro certo affirmare ausim. Nolo equidem id urgere, ex quo recentioribus temporibus codices scripti fuerint promulgati, nondum esse repertum

eorum interpretem, quin si cum Romanorum coryphaeis conferatur, jaceat, aliud quid praeterea est observatione dignum. Nimirum si animum vertamus ad juris conditionem qualis in patria nostra obtinet, haud prorsus injustae mihi videntur querelae eorum, qui illud nequaquam pari gradu cum societatis hodiernae necessitatibus procedere, imo ei quandam immobilitatem adhaerere putant, adeo ut in judiciis subinde in dubium revocari videas ea, quae unanimi omnium consensu jam dudum sunt probata et accepta. In mentem mihi venit ejus, quod accidere videmus circa rerum mobilium, praesertim mercium traditionem. Si quid umquam, haec certe arctissime cohaeret cum necessitate celeriter conficiendarum et coniungendarum inter se actionum, quâ qualis hodie exercetur mercatura, magna illa et copiosa, omnium minime carere nequit. Merito itaque exspectaveris, non intra vetera nos et tralatitia subtitisse, sed citato gradu ultra Romanos esse progressos. Quod ut factum sit, tantum abest, ut pedem potius retulerimus, ita ut v. c. de constituto possessorio quod dicitur, de quo jure Romano constitit, serio in foro disputetur, ne dum ut agnoscantur varia illa mercium transferendarum genera, quae jam dudum invaluerunt quaeque nemo ex JCtis Romanis respuisset, qui probe percipiebant, traditionis actu, sive rei ipsius vel clavium apud borrea constaret traditione, sive dolia aut trabes signando perpetraretur, nil aliud significari, nisi ut quis rem animo sibi habendi quoquo modo in potestate sua acquisitam habeat.

Sunt qui hujusce rei culpam tribuant Codicibus scriptis, quasi illi angustis verborum cancellis JCtos circumdan-

tes, novas quae appareant species repellant jurisque adeo progressum impediant. Equidem aut fallor, aut querelarum in hominibus, non in re est culpa malumque potius oriri existimo ex eodem fonte, unde jam tot civitatibus mala sunt coorta, nempe ut privati ipsi otiosi ac nihil agentes, omnia a republica fieri flagitent. »Non possunt ut est in Legg. 12 et »13 D. de leg. omnes articuli singulatim legibus compre»hendi. Sed cum in aliqua causa sententia earum manifesta »est, is qui jurisdictioni praeest, ad similia procedere atque »ita jus dicere debet. Nam quoties lege aliquid unum vel »alterum introductum est, bona occasio est cetera quae ten»dunt ad eandem utilitatem vel interpretatione vel certe ju»risdictione suppleri." Hoc cum universe verum est, tum potissimum valet his ipsis temporibus, quibus frequentissimo rerum inter homines commercio, quotidie vel prorsus insolitae atque improvisae existunt conventiones, quarum appellationes nullae jure civili proditae sunt, vel certe tales, quae cum jam olim fuerunt, novam plane induerunt formam. Quod simulatque fiat, si statim legislatoris implores auxilium, alterutrum accidat necesse est: nimirum aut de singulis illis novis speciebus ferentur leges subitaneae, tumultuariae, extravagantes, nullo cum jure quod exstat vinculo junctae, aut ea quae hominum solertia excogitavit, usus confirmavit, perpetuo juris civilis auxilio destituentur. Quod igitur initio frustra a legislatore impetres, hoc JCtorum munus est. His enim incumbit, cum prodeant quae utilitate et aequitate sese commendent eaque radices agere coeperint, eorum quasi imperii sui potiri, naturam et indolem investigare, cum quibusnam ex vulgaribus ac proditis negotiis conveniant, explorare iisque

quasi juris signum imprimendo, in systemate locum assignare. Hac ratione id quod fieri oportet, non a legislatore primum postulabitur, sed JCti ipsi operi manum adhibebunt, et tum demum, quum ab illis, quasi jus conditum et legislatori via erit munita, hic sanciendo et controversias quae durare perseveraverint dirimendo, partes suas interponet.

Quod itaque a Romanis nondum didicimus et tamen jam dudum ab iis discendum erat, hoc est, ne jus quo utimur, habeatur tamquam septum quoddam clausum vel quasi muro quodam vallatum, quod extra se nil habeat nec recipiat, sed ut potius undique circumspiciamus cum quibusnam ex iis quae exstant, ad quae referantur, nova quae existant similitudinem aut analogiam referant.

Sic equidem non nego fieri posse, ut error objiciatur, quo, re non ab omni parte perspecta et falsa similitudinis specie decepti, in comparandis dissimilibus labamur, ut egregie fallebantur illi ex Romanorum JCtis qui in eo contractu quo agri vectigales in perpetuum locari solebant, donec Zeno propriam ei tribuisset naturam, emtionem venditionem aut locationem cond. sibi conspicere visi sunt, vel qui cum res aestimata alicui vendenda data fuerit, ex vendito vel ex locato agendum esse existimaverunt, sed hujusmodi errores delet dies; hoc certe ad vetera nova adjungendo et haec ad illa referendo, assecuti sunt, ne negotium civile bona fide gestum, umquam tuitionem juris desideraret vel sanctione careret, adeo ut in analogia errare maluisse censendi sint, quam temere pati, ut qui fidem datam fallendo in aequitatem commisisset, ad jus provocaret.

Tertium quod juris Romani cognitio affert emolumentum,

positum est in ingenti quâ abundat rerum ad jus pertinentium copiâ et varietate. Et quid est quod miremur? Si reputemus, quomodo jus illud a rudibus ut solet initiis ortum et intra urbis moenia circumscriptum, subacta deinde Italia regnisque in provinciarum formam redactis, sensim sensimque incrementa ceperit, quomodo deinceps ad remotissimas et diverse moratas gentes, quae sese in Romanorum potestatem ac ditionem dedissent, adaptandum fuerit, qualem vicissim leges et instituta populorum cum quibus commercium erat, in jus Romanum vim habuerint et postremo cum illo coalueriut; si porro meminerimus; eo tempore quo omnia in pejus ruere coepissent omnesque propemodum artes ac disciplinae ad interitum vergerent, solam jurisprudentiam vigorem suum retinuisse et excellentissimorum hominum ingenia exercuisse, si denique ratio habeatur diuturni illius temporis, quo postquam terrarum orbem sibi parere coegisset, imperium Romanum steterit, facile intelligitur, vix aliter fieri posse, quin in iis quae nobis supersunt juris monumentis, inveniatur rerum aliarum super alias coacervatarum thesaurus.

Haec ipsa autem abundans rerum copia id efficit, ut quo plura hominum sagacitas reperiat nova et multiplicia negotiorum expediendorum genera, quoque major augescente humana industria, existat rerum conficiendarum numerus et varietas, eo magis appareat Juris Romani utilitas, si quidem vix aliquid excogitari poterit, quod non in illo adminiculi quid quo nitatur, habiturum sit.

Non sum ignarus, fuisse olim hodieque esse, qui cum Romanorum placita ad prorsus aliena accomodassent, juris

prudentiae nocerent magis quam prodessent, neque is sum, qui ut hisce diebus factum vidi, societatem quae commenditaria audit, lubens per actionem tributoriam explicari velim, sed unusquisque perspicit, hujusmodi hallucinationes non perniciosae quam dicunt juris Romani auctoritati, sed potius pravae atque ineptae eo utendi rationi esse imputandas.

Luculentissimum nobis exemplum praebet juris cambialis historia. Si fidem habuisses nonnullis, jus Romanum causa erat, quare vera cambii indoles ad recentissima usque tempora cum legislatores tum Jctos ita latuerit, ut ea quae legibus sancita fuerant, omnino non congruerent cum receptis sententiis illorum qui usu ejus notionem bene perceptam habebant. Quid autem jam nunc constat? hoc nequaquam accidisse ideo, quod juri Romano nimium tribuissent, sed quod huc traxissent placita a cambii natura longe aliena et remota. Quod si enim schedulas istas non ex emt. vend. locat. cond. aut nescio quodam contractu proprium nomen non habente explicare conati essent, sed oculos potius vertissent ad eas juris Romani conventiones, quarum obligandi causa non extrinsecus petenda sed in sola forma sit posita, si verbo dissimilia non miscuissent, sed similia cum similibus comparassent, *per* jus Romanum dudum eo pervenissent, quo nonnisi post multas ambages et seculorum errores ii rem perduxerunt, qui de hoc instituto optime meriti sunt.

Quae huc usque disputavimus etiam tum valerent si jus Romanum cum in aliorum populorum recentiorum, tum in patriae nostrae leges aut prorsus nullius aut nonnisi exi-

gui fuisset momenti. Et tum praestantissima illa Jctorum fragmenta, ob causas quas enumeravimus, haud secus ac reliqua vetustatis monumenta, quae coli et ad imitandum proponi solent, omnino digna essent in quibus operam nostram collocaremus. Rem vero longe aliter sese habere, nemini incognitum est. Quis enim ignorat, per totam fere Europam tacito plerumque populorum consensu jus illud, hic illic mutatum, truncatum, corruptum, fuisse receptum et innumerabilia ejus placita in jus hodiernum immigrasse, ita ut a vero non longe aberrent, qui quoad jus magna ex parte nos Romanam vivere vitam contendunt. Nisi adeo rivulos potius consectari quam fontes rerum videre malimus, ad hosce recurrendum esse primo obtuitu apparet. Neque quis forte putet, ea quae a Romanis mutuati sumus, sic nos nostra fecisse, ut tuto eorum originis obliviscamur. Imo tantum sine ratione valuit auctoritas, ut multa recepta sint ita proxime conjuncta cum peculiari populi Romani indole, regiminis forma et judiciorum ordinatione, ut eo minus per se intelligantur, quo minus quadrent in plane diversam rerum societatisque conditionem. Et hic denuo apparet perniciosa vis ignorantiae aut potius simulatae semidoctorum eruditionis. Quum enim jus Romanum non ex ipsis fontibus haustum, sed per interpositam interpretum personam cognitum haberent, saepius factum est, ut capiti humano cervicem jungentes equinam, ea quoque inde desumerent, quorum hodie nemo nec rationem nec consilium videat; quem denuo scopulum is solus evitabit, qui antiquitatis et historiae scientia imbutus, Jctos sua ipsorum lingua loquentes intelligere atque ita justa ratione discernere didicerit, quid iis

proprium et a nobis alienum habendum, quid omnibus commune ab omnibus amplectendum sit.

Quum igitur tantis nominibus sese commendet studium juris Romani, mirari subit, cur in patria nostra ubi olim inprimis floruit, nonnisi pauci inveniantur, qui toto pectore illud amplectantur, alii qui insolenter fastidiant, alii qui cum discendi cupiditate incensi accessissent, facile ab eo sese deterreri passi sint et vix coeptum opus mox dereliquerint. Et primum quidem hoc tribuendum videtur seculi ingenio, prope dicam vitio. Ex quo enim apparuit, quantum ad hominum utilitates et commoda augenda valeat cum ea philosophiae pars, quae versatur in indagandis naturae viribus legibusque quibus singula reguntur, tum ea disciplina qua docemur, quomodo divitiae obtineantur et distribuantur, ab eo inde tempore hominum mentes et cogitationes sensim sensimque vertebantur ad id doctrinarum genus, quae ad bene beateque vivendum proxime referre viderentur. Unde cum infatigabili et laudabili sane nova sectandi ardore, nimius atque injustus vetustatis contemtus et quasi revera novus ab integro seculorum nasceretur ordo, quidquid antiquitatem redoleat contemtui habere, ad id tantum quod adest, quodque praesens est quodque nostra procreavit aetas, sese accomodare coeperunt. Malum hocce uti universe serpit, ita juri Romano jam bellum minitatur. Et sicuti nuper fuit, qui pueros in gymnasiorum subselliis sedentes non linguâ Graecâ sed zoologiâ imbuendos esse serio suaderet, mox si Deus vult, reperietur, qui dupondiis auctor erit, ut juris elementa

non ab Imperialibus Institutionibus appetere, sed a compendio quodam practico, a nescio quodam causidico, vernaculo sermone concinnato, auspicari velint.

Meminerint quaeso invidiosi illi obtrectatores id quod centies dictum et centies repetitum est, homines perpetua et continua serie sibi succedere, praesentia a praeteritis, futura a praesentibus esse apta, neque ullum seculum frustra vixisse, neque imperium Romanum frustra stetisse, neque inanes fuisse Romanorum Jctorum labores, sed ubique cerni eorum vestigia non obliterata; vanam adeo esse gloriae affectationem ignorare aut floccifacere immortalia illa quae perpetrassent, scd veram laudem in eo esse quaerendam, ut quae a veteribus affecta non perfecta fuerint, suppleamus, corrigamus, emendemus.

Quemadmodum autem disciplina nostra detrimentum cepit per insolentem quorumdam vetustatis contemtum, sic ab altera parte in reprehensionem incurrit per superstitiosam nonnullorum Romanorum venerationem, quorum dotes suspicientes eorumque admiratione perculsi, neminem post illos aliquid proficere posse profitebantur, vanos atque irritos esse omnes recentiorum conatus, innovare vel paululum a Romanis recedere religiosum, Pandectas, donum quoddam divinitus de coelo missum in perpetuam universi generis humani salutem, omnia continere quae umquam facta vel olim futura sint, nihil esse justum, nihil aequum, nisi ad quod probandum ex hoc opere lectiones recitentur. Incpta et ridicula haec superstitio eam habuit vim, ut quaecunque a Romanis essent profecta, omnia sine discrimine eodem amore complecterentur, eâdem religione colerent, quin intempestiva

quadam sedulitate, ea quoque investigarent, quae Justinianus idque merito pro antiquae subtilitatis ludibriis haberi voluit, quo factum, ut cum rudes inprimis et infirmi, magnam viderent dari operam iis, quae rebus non amplius apparerent atque ita jus a vita segregari, mature desertores efficerentur.

Alia causa quae homines ceteroquin non admodum indoctos a jure Romano remotos tenebat, posita est in peculiari ejus fontium habitu et conditione. Constat nimirum, Romanorum ingenia a reconditis et abstrusis omnino abhorruisse, quumque aut omnino non, aut nonnisi paucis philosophandum esse arbitrarentur, nullam rerum cognitionem aut meditationem magni habuisse pretii, praeterquam eam, quae spectaret vivendi rationem societatemque civilem. Non pudebat Scaevolas, Brutos, Manilios, civitatis principes, disceptare, num partus ancillae in fructune esset habendus, quia hoc disserendi genus ad civium usum non videbatur inutile, dum quidquid frustra contenderet Cicero, parum solliciti erant perscrutari, quis esset finis bonorum aut malorum, quid sequatur, quid fugiat natura. Haecce Romanorum a mera contemplatione et philosophandi studio aliena indoles, in Ictis quoque eorum conspicua est. Non in scholarum umbra delitescentes, sed in media hominum vita degentes, in eo potissimum laborabant, ut consulentibus copiam sui faciendo, vel gravia in rep. munera obeundo, apud cives suos sibi laudem et gloriam conciliarent, et cum quaeritur quis Jctus vere nominetur, eum dicunt, »qui legum et consuetudinis ejus quà privati in civitate utuntur, ad respondendum, ad agendum et ad cavendum sit

paratus." Mirum itaque non est, eos longo ac perpetuo rerum usu exercitatos et ad forensium rerum tractationem non tam natos quam a deo fictos, in eo inprimis excellere, ut res quas tractare sibi sumsissent ab omni parte vertendo, volvendo et quasi subigendo, infinitas sibi causarum figuras et innumirabilem specierum multitudinem fingere valeant, et in decernendo quid justum verumque sit, numquam fere labantur, sed qua in re deficiunt, est ea ars qua infinita illa a se observata et notata, cogitatione ac mente comprehensa quasi in unum cogantur, res verbis rite designentur, quaevis ad sua genera deducantur, partibus rite describantur. Unde multorum institutorum, quae ab illis in eum modum fuerunt exculta, ut qui innovarunt, depravasse potius quam correxisse censeantur, frustra quaeras brevem et circumscriptam explicationem seu definitionem, et si quae occurrat, saepe est subnixa ridicula vocis definitae etymologia, vel certe talis ut facile everti possit: ubi genera sunt notanda, partitiones saepa ita perversae, ut in rem omnino non quadrent, quin rationes quae dantur ita aliquando suspectae, ut divinando potius et felici ut ita dicam intuitione, quam justa ratiocinatione verum assecuti esse videantur.

Quod si porro attendamus ad Pandectarum quibus maxima ac praecipua constat juris Romani pars, dispositionem, quale de iis ab idoneis harum rerum iudicibus fertur iudicium? singula quae tractantur praeclara et quantivis pretii, operis totius dispositionem incultam et fere barbaram. Titulorum qui se invicem consequuntur series ea, qua ad veteris juris imitationem, usus forensis vel cujusve alius rei, nulla certe materiae tractandae idonee habita est ratio, fragmenta autem in singulis

titulis ita collocata vel potius *projecta* et *infarta*[1]) ut beatus praedicetur sagacissimus ille Germanus, qui ordinem quem in singulis agglutinandis compilatores secuti fuerint, reperierit, si ordo est dicendus ea rerum collocatio, cujus norma erat non subjecta materies, sed varii generis auctores, ex quorum scriptis fragmenta essent excipienda.

Haec quum sit externa praecipui fontis conditio, an mirum videri potest, nonnullos alioquin discendi cupidos rectam viam invenire desperantes metuentesque ne sudando volverent saxum et proficerent nihilum, arduum et ingratum qui sibi videretur laborem abjecisse et ad alia quaevis animos vertisse?

Diffiteri hasce difficultates obfuisse aliquando perque eas factum ut plerique non ultra Justiniani Institutiones saperent, eorum est, qui dum omnia quae sunt, uti sunt, tueri se putant, omnia sibi de manibus labi patiantur. Nostrum est impedimenta quae nobis obstare videntur, si non tollere at certe minuere. Dicam quod sentio: Juri Romano opera est danda, non quod Romanum, sed quod jus est, quibus verbis id intelligi volo, quod in eo reperiuntur innumera placita et justi notiones quae naturali aequitate fundatae et ex intima hominum in societate degentium natura derivatae, omnium quidem animis insitae sunt, sed apud Romanos primum vivam formam et expressam imaginem acceperunt. Ex hac silva nobis adeo materies quaerenda, sed ita quidem, ut ex hac materie nova fiat species. Spe-

[1]) Donellus Comment. Jur. Civ. I. I. § 10.

cificatio ista, ut barbara utar voce, spectat tum explicandi viam et rationem, tum argumenta quibus potissimum immorandum. Quod ad illud, relicto inepto et dudum exploso Digestorum ordine, jus civile quod ibi diffusum et dissipatum est, ea arte est tractandum, qua ut Donellus, ait »fit ne »animus in rebus ad nostram disciplinam pertinentibus »persequendis, tamquam incertis sedibus vagetur, ignarus quo »tendat aut quid primum, quid postremum sequi debeat."

Singula instituta suo loco collocata et apto ordine disposita, recte describantur, genera rite notentur, partibus distribuantur, omnia denique ita explanentur, ut perpetuo ipsos adeamus et monstremus fontes, quo ob oculos ponatur, non tantum quid apud Romanos juris fuerit, sed id praecipue, qua arte et elegantia in illo excolendo versati fuerint.

Quod ad argumenta tractanda, ea anteponantur quae seu jure nostro sunt recepta, vel certe in illud nonnihil momenti habuerunt, nonnisi leviter vero adumbrentur illa, quae vel arcte cohaerentia cum Romanorum moribus, reipublicae regimine, magistratuum jurisdictione et judiciorum ordine, simul cum Romanorum imperio evanuerunt, vel cum veterum Jctorum subtilitate et superstitiosa formularum observantia, vel denique cum erroribus ipsis de societatis humanae conditione et legibus objectis, nec amplius vivunt, nec vita digna sunt.

Haec autem quae dixi non ita intelligi volo, quasi revocari velim tempora illa inculta, quibus sufficere videbatur, ut quis omnis eruditionis expers, ea tantum tenens quae sunt in disceptationibus atque in usu forensi, certa quadam

verborum volubilitate, brocarda quaedam effutire valeret aut quasi immemor gloriae, quam nostrates olim historiâ juris excolendâ novisque et incognitis fontibus indagandis consecuti fuerunt, aut quasi ignarus eorum, quae Germanorum schola historica praestitit et in melius reformavit, pro nihilo ducam eam disciplinae nostrae partem, quae docet, quomodo quaevis instituta originem, incrementa et finem acceperunt. Ut enim hoc omittam, plures qui in Digestis occurrant locos, quum auctores habeant illos Jctos, quorum plerique longe ante Justinianum diversa juris et judiciorum conditione floruerunt, ex historia demum lucem suam accipere, neminem certe fugit, cujus quis civitatis nec mores nec instituta nec regiminis formam, nec leges cognitas habeat, ejus jus civile non posse ab eo commode tractari, dum praeterea omnes juris partes ita aliae ab aliis sunt aptae et colligatae unoque spiritu continentur, ut ea quae in usu ab iis quae antiquata et obsoleta sint, prorsus avelli nequeant. Quod volo, hoc est, ne in iis quae non nisi adjumenta et subsidia sunt, ita haereamus ut pro re principali habeatur, quod nonnisi accessionis vice fungi oportet, nec quidquid agamus, umquam oculos avertamus ab eo fine, ut excolatur jus quod in ipsis obtinet rerum argumentis illudque eadem arte, qua Romani fuere insignes, interpretari discamus.

Superest ut vobis, Curatores amplissimi! gratum animum tester, quod vestrae commendationi, qua mihi ad Regis Augustissimi notitiam iter aperuistis, id acceptum refero, quod

mihi provincia contigit omnium exoptatissima. Quod si enim jus civile docere semper fuit habitumque est pulcrum, tum eo mihi potissimum gratulor, quod isto munere fungar in hac urbe in qua natus et educatus, in hac Academia in qua institutus, una cum praeceptore aestumatissimo a quo instructus cumque illis quibus amicitiae vinculo conjunctus sum.

Quod unum pro honorifico vestro de me testimonio praestare possim quodque unum (sic mihi persuasum est) a me praestari vultis, hoc est, ut omni ope enitar, ut conservetis quam de me concepistis opinionem, ne vestrae commendationis vos umquam poeniteat.

Cum ad vos me converto in quorum coetum congregor, ita me copia facit inopem, ut quem vestrûm alloquar, dubius haeream. Tot hic adestis cum praeceptores, quos pio animo colo, tum fautores, amici, quibuscum mihi arcta est necessitudo. Ignoscite quaeso mihi! si temporis angustiis impeditus, eorum tantum meminerim quibuscum me studiorum ratio conjunxit.

A te Cl. Bake sumo initium. Tu is es qui viam mihi aperuisti ad intelligenda et suo pretio aestimanda praeclara illa vetustatis monumenta et ad interpretandi artem, qua utpote solido fundamento nisi jurisprudentia superstruatur, sterilis est omnis quae in ea ponitur opera. Sed tù simul is es, a quo didicimus, ne omnes, ne omnia, ne nimis miremur, ne veteres ita imitemur, ut cum virtutibus in eorum vitia quoque succedamus, ne prae antiquitatis vene-

ratione, id quod nostrum, quod proprium, quod domesticum est, contemnamus.

Fruare diu Vir. Cl. otio tibi concesso, si otium est, non senili socordia torpescere, sed juvenili ardore e cornu copiae larga manu effundere, quae tu modeste tua *ἄτακτα* vocas eâque qua insignis es doctrina et humanitate, inservire amicis, literis, Academiae cujus gloria ac decus es.

A Bakio institutus jurisprudentiae me addixi ducibus viris cl. Assenio, Tydemanno sene venerabili, quem nemo est, qui noverit, quin ob eximias quae in eo elucent virtutes, colat, observet, ac diligat, et te cl. Cock, cui, si ut mihi blandior, non prorsus improbatus fui discipulus, utinam acceptus sim collega!

Te cl. Van Assen cum intueor, maxima perfundor laetitia. Primum enim tibi succcdo ita corpore animoque vigenti, ut cathedrae tuae possessio ne momento quidem interrupta quasique juncta ad nos transitura sit. Deinde tibi succedo ita non invito, ut si uti legassis super munere tuo, ita jus fuisset, me si non ex asse — nimis grave tibi videbatur onus hereditarium — certe ex semisse instituisses heredem. Quem Praeceptor Aestumatissime! tu te praestitisti literis, Academiae, discipulis, ex me — qui tantum tibi debeo — non audies, eo minus, quod quale de te ab harum rerum judicibus fertur judicium, notum tibi fecit haud ita pridem, alius tuus discipulus, me cum aetate tum auctoritate superior, Curiae Supremae in patria nostra Praeses.

In me collata beneficia si enumerare velim, dies me deficiat. Juvenem me vix pueritia egressum rudem adhuc et inopem, consiliis tuis adjuvisti, humanitate tua sustentasti,

de me ipso ne desperarem effecisti; studiorum autem ardorem, quem in me tibi conspicere videbaris, ita inflammasti et excitasti, ut nisi prorsus obtuso fuissem ingenio, vix aliter fieri potuerit, quin jurisprudentiam Romanam, cui me adstrinxisses, in summis deliciis haberem. Nec Academia relicta, me a latere tuo dimisisti, sed cum sors tulerat, ut foro me destinarem et cura te sollicitaret, ne negotiis districtus a literis peregrinarer, nullum fere intermisisti diem, quin iis quibus tu solus uti scis illecebris, me ad pristinos amores revocares; et quum denique instaret tempus, quo te munere tuo abdicare lex cogeret, non tantum palam professus es, tibi nil optatius fore, quam ut cathedram quam tu honorasses, ego adscenderem, sed ut voti mei compos fierem, eâ quâ apud civitatis principes polles auctoritate, perpetrasti. Utinam Deus te diu servet incolumem tibique largiatur senectutem placidam, jucundam tibi aliisque fructuosam. Maneas mihi, te obtestor atque obsecro, hortator, monitor, eorum quae ago observator et custos; addas denique ad magna ac multa de me merita hunc cumulum, ut per te ipsum fiat, quo minus indignus tibi videar successor!

Vos cl. de Wall et Vissering praeceptores habere non contigit, sed alia mihi vobiscum intercessit necessitudo. Lubens cl. de Wall, in memoriam revoco illius temporis, quo quum tu accusatoris publici sustineres personam, ego reos defenderem, non quidem sine animi contentione in foro disceptavimus, sed ita, ut uni de altero esset persuasum, non verba cavillari nec auram popularem capere, sed jus tueri esse propositum.

Lubens Vissering, recordor illius anni, quo studiorum sta-

dio fere decurso, uterque usi sumus praeceptore Thorbeckio, viro illo praeclaro, cujus de hac Academia et de jure publico merita celebrare, non est meum. Testantur scripta, testantur grato animo qui sunt discipuli, testabitur memor et aequa posteritas, illius vero in me summam benevolentiam solenni hocce die silentio praeterire, impium et nefas ducerem.

Si v. cl. Juris Antecessores! nam te quoque Cl. Boneval Faure qualem habeo, usu jam pridem expertus es! ex praeteritis futura augurari licet, si idem velle atque idem nolle optimum concordiae est pignus, si idem nobis est consilium eademque voluntas juventutem ad omnes bonas artes incitando, Academiae gloriam tueri et amplificare, nullus dubito, quin nulla ne umbra quidem simultatis inter nos oritura, sed perpetua nos junctura sit amicitia.

Tecum Cl. Cobet, mihi et vetus et magna amicitia est. Viginti quinque sunt anni, ex quo literis humanioribus operam dante in iisdem subselliis sedimus vicini, sedulo et quotidie fere respondentes ad quaestiones quas Cl. Peerlkampius proponere solebat. Multa ab eo inde tempore circa nos mutata sunt; quod idem mansit, est singularis meus erga te amor, summa ingenii tui admiratio. Quemadmodum igitur cum huius Academiae eras alumnus, tua nos trophaea e somno excitabant, sic et nunc tuum mihi exemplum ob oculos ponens, imitari conabor tuam in docendo alacritatem, erga discipulos benevolentiam, in iis dijudicandis constantiam et aequabilitatem. Et quamvis mihi ipse non blandior, umquam me attingere posse id, ad quod tu jam pridem pervenisti fasti-

gium — non enim, ut cum Graeco Graecissem παντὸς ἀνδρὸς ἐσ Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς — altius tamen, ut ait Quinctilianus, ibimus, si ad summa quaevis nitemur, quam si protinus circa ima substiterimus.

Quam tua praesentia me delectet, carissime Opzoomer! etiam si taceam sentias. In hoc ipso auditorio tibi a latere fui, cum magna adstante corona et summo omnium applausu, contra respondentes defenderes doctissimam tuam de Obligatione Naturali dissertationem et Assenius noster eloquenti quam habuit oratione tuas praedicaret laudes et summa omnia de te polliceretur; quam spem te non fefellisse, omnes sciunt, qui in literis non plane sunt hospites. Unum quod doleo et mecum dolent amici Leidenses, hoc est, te non nobiscum morari neque nos uti suavitate sermonis et consuetudinis tuae. Sed ne invideamus Acad. Ultrajectinae ornamentum suum; optemus potius ut vires tuae pares maneant gravi quod magno cum discipulorum tuorum fructu sustines muneri diuque te nos gloriemur amico!

Commilitones Praestantissimi! Juvenes ornatissimi! Ratione vestra mihi contigit, quod non saepe aliis. Vulgo qui vos doceat atque instruat vocari solet is, quem quamvis plurimis aliis nominibus sese commendet, alii vestrum numquam vidistis, de quo alii ne fando quidem audivistis. Ego hoc in maxima meae felicitatis parte duco, quod non tantum vobis non incognitus veni, sed quod major vitae meae pars versata fuit in instruenda juventute jurisprudentiae arte, quin nonnullorum vestrum qui hic adestis studia, jam privatim dirigere coeperam, ita ut cum his, ut JCti praescribere solent, *de eadem* re *alio modo*. Neque credatis velim, me quod alio

titulo insignis ero alioque nuncupabor cognomine, animo erga vos, quos propter morum suavitatem ergaque praeceptores observantiam, semper dilexi, umquam mutatum iri. Ero qui fui, nec morosus nec importunus magister, sed studiorum comes. Hoc interest, quod a forensibus laboribus immunis totus in eo elaborare potero, ut opera ac studio meo doctiores sitis et JCtorum nomine olim digni habeamini. Unum illud a vobis enixe peto, ut ad discendum eam afferatis diligentiam, sine quâ nemo quamvis ingenio pollens in aliqua arte aliquid proficere possit, quam si praestabitis neque officium vestrum deseretis, summa me spes tenet, fore ut re experiamini, vix aliquid esse, quod tantum vobis fructus atque emolumenti afferre possit, quantum Jurisprudentiae Romanae notitia. Precor D. O. M. ut sicut adest voluntas, ita mihi suppeditet vires, neque umquam dedecori sim Academiae Lugd. Bat. quam olim ornavit is, quem cum cogito et cum mediocritate mea comparo, tota mente et omnibus artubus contremisco, Hugo Donellus.

DIXI.

